

Horatius Antonius Bologna

Quid novi litteris renatis poesi Latinae attulerint Poloni

Collectanea Philologica 9, 193-198

2006

Artykuł został opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

LITTERARIA POSTERIORA

Horatius Antonius BOLOGNA

(Roma)

QUID NOVI LITTERIS RENATIS POESI LATINAE ATTVLERINT POLONI

IL CONTRIBUTO DEI POETI POLACCHI ALLA LETTERATURA LATINA RINASCIMENTALE

Con questo breve intervento l'Autore richiama alla mente degli ascoltatori e dei lettori la grande stagione della letteratura in latino, fiorita in Polonia nel XIV e XV sec. I poeti polacchi, formati nei grandi centri italiani, nei quali la cultura umanistica e rinascimentale faceva sentire i suoi benefici e salutarissimi effetti, contribuirono in modo mirabile a fondere e trasmettere costumanze e culture diverse mediante una letteratura elegante ed una cultura raffinata, dopo aver mirabilmente assimilato la lezione dei classici alla scuola dei grandi maestri. Perché questo grande patrimonio non vada perduto, tutti sono invitati a ritornare alle fonti della nostra cultura per assimilarne il dettato, comprenderne il messaggio, riviverne gli stimoli.

Mihi, mulieres ornatissimae praeclarique viri, maximo est honori vobis omnibus, qui huic conventui tam frequentes interestis, multam salutem impertire atque unumquemque vestrum, curis sollicitudinibusque domi relictis, optimis votis persequi pergratum videtur. Ad hunc autem conventum apparandum et in hunc clarissimum Poloniae locum contendendum, quo nullus nec praestantior nec iucundior in terrarum orbe exstat, cum linguae Latinae studium tum praesertim quorundam viororum doctrina atque eruditio mentes sollicitavit, animos movit, pectora incendit. Ideo, auditores ornatissimi, hoc inceptum, quod nos in unum congregavit, quo uberius fructibus animos alamus mentesque ditemus, est apparatus laudi, oratoribus honori, praeclarae huic nationi ornamentum, nobis omnibus, qui adsumus et magno cum ardore linguam Latinam colimus ac favemus, decori ac lumini.

Hic vero conventus, quem nonnulli, cum rem nullius momenti putent, despiciunt vituperant contemnunt, Poloniae laudes decoraque renovat et nostrum omnium, quamvis luctuosa orbis bella pectora turbent, animos sollicitent, mentes torqueant, hanc tamen historicam et perspicuam docet fidem: praecipuas

Poloniae litteras a saeculo XIV usque ad paucos abhinc annos esse lingua Latina conscriptas. Illis enim temporibus, quibus Polonia ultima non minima maioris imperii fuit regio, praeclari huius nationis cives, et ii optimis rebus imbuti, ut in omnibus et cultioribus Europae gentibus, ad carmina contexenda, poëmata condenda, historiam scribendam, orationes elaborandas atque habendas, nullam aliam linguam quam Romanum sermonem aptiorem invenerunt.

Ideo antiquissima et maxima Polonarum litterarum monumenta sunt Latino sermone et cogitata et confecta et edita. Quam ob rem praeclari illi viri, quos iure ac merito auctores habemus litterarumque nostrarum patres ducimus ac numina, linguam Latinam tanto coluerunt studio atque amore, ut Vergilii, Horatii, Tibulli, Propertii, Livii, Senecae Tacitique aequales viderentur. Qui vero tanta peritia tempore procedente linguam Latinam adhibuerunt ac docuerunt, ut ipsi Romani cives et incolae putarentur.

Cum autem antiquos Romanorum auctores legissent, didicissent, degustassent atque aemularentur, tam mira et suavia carmina fuderunt, quae merito Romanorum aetate scripta et ipsi antiquorum auctorum discipuli a doctis haberentur. Quanam de causa tam eruditi et clari viri antiquum Romanorum sermonem, quem illa aetate litteris renascentibus cum nostri poëtae rerumque scriptores tum qui aliis artibus operam dabant, manibus plenis adhibuerint, neminem nostrum fugit, quoniam compertum habemus quanti ponderis apud omnes Europae gentes Romanorum linguam fuisse.

Ideo ad tam clarum et nobilem sermonem ediscendum et Romanorum litteris ac doctrina animos ditandos omnes Polonorum docti et eruditi in Italiam contenderunt, ubi una cum scientia iurisque studiis, ut apte idoneeque quae sentirent exprimerent et canerent, in Latinos praesertim auctores alacres animos et mentes intenderunt. Nonnulli vero, cum essent ad sacerdotale munus vocati, praeter libros sacros, quibus fidem Christianam aiebant et doctrinam augebant, ad multam noctem cum Romanis scriptoribus et poëtis libentissimo animo lucubrabant. Utroque quidem melle, quo nullum Dei donum vel munus dulcius elegantiusque merito putabant, animos ad res adversas tolerandas parabant humanisque praeceptis corroborabant ac firmabant.

Cum autem in praeclaris Italiae urbibus vitam degerent, haud raro in eorum carminibus una cum Italicarum civitatum moribus et institutis mulierumque quoque nomina invenimus. Nam quis nostrum, studia conficiens nec non ad antiqua litterarum nostrarum testimonia ac monumenta animum vertens, in Fanniam, claram Italicam puellam, non incidit secumque quaerit, quanam de causa Philippus Callimachus hanc mulierem cecinerit laudibusque ornaverit? Eandem enim mulierem perpaucis annis ante et Iovianus Pontanus, praeclarus poëta Neapolitanus, qui maximus illius aetatis Latinorum carminum cultor et conditor evasit, magnis laudibus extollit. Ceterum Iovianus ille omnium illius aetatis a doctis viris est doctissimus ductus eiusque insuper carmina et magistri et discipuli non solum Neapoli, verum in aliis etiam civitatibus Italicis et

Europaeis memoriae mandabant. Tantum magistrum secuti, et ipsi musas colebant, fetus custodiebant, libros edebant. Quantum Iovianus cum Italicis doctis tum illis aliunde venientibus profuerit ex poetarum libris et carminibus comperire possumus.

Attamen apud scholas et universitates Italicas eruditi magistri non solum quomodo essent carmina pangenda, sed quibus etiam argumentis et fabulis exornanda discipulos docebant. Apud easdem praeclaras Musarum Pieridumque sedes, quae temporibus illis ab omnibus Europae nationibus plurimi ducebantur, quoniam discipulis doctrinam et eruditionem mirum in modum tradebant, praeclari exstiterunt docti, qui, acri ingenio praediti, quae iuvenes ipsi didicerant, libentissimo animo tironibus ministrabant. In quibus quidem civitatibus innumeri iuvenes, Polonia relicta, potissimum habuerunt locum. Qui una cum aliis Europae tironibus animum Latinarum Graecarumque litterarum thesauris apud sumptuosissimas studiorum sedes, quas Musae et ingenuae artes idoneum sibi domicilium elegerant, animos locique mores et mulieres et amores carminibus laudabant. Quodam temporis spatio, quod ad studia conficienda et necessaria ediscenda idoneum habebant, Italos se reapse duxerunt, Italico more vixerunt, Italica tam perfecte sunt instituta imitati, ut ignarus lector illos vel Florentinos vel Patavinos vel Neapolitanos vel Romanos diceret. Quas quidem urbes, cum in patriam rediissent, in imis pectoribus servaverunt quarumque monumenta semel atque iterum in longinquis suis regionibus, hieme geluque rigentibus, qua mollitia animi fuerint, haud inviti memoraverunt.

Sed quantum docti et eruditi Polonorum viri litteris Latinis, quas illa aetate haud parvus Italarum poetarum numerus in pristinum honorem et in antiquam dignitatem ducebant, profuerint unusquisque nostrum, paucis tantum paginis evolutis, intellegit et notat. Unusquisque vero vir, Poloniae mores et instituta secum ferens memoriaeque tenens, quibus animum, parentibus et amicis faventibus, alebat, occasionem nactus Italicis doctis vel terram longinquam, ideoque miram, vel Polonorum principum episcoporumque vitam canebat, quorum sumptus et magnanimitatem laudibus exornabat vel crebras postulationes vituperabat, quoniam a studiis, a vita tranquilla, ab amoribus, ab amoenis Italiae locis demovebant. Qui vero docti et eruditi viri, salubribus et mirificis locis cognitis, Italiae caelum et maria, cum domum revertissent, in imis animis servaverunt. Ipsi, Florentinae vel Neapolitanae puellae amoribus experti, domino vel episcopo vocante, plagas Italicas tristes et inviti reliquerunt. Haud raro, cum essent ad oboedientiam coacti, praeteritas delicias memorantes, querellis et lacrimis carmina impleverunt.

Quae quidem agumenta, quibus sunt et Tibullus et Propertius et Ovidius usi, altera cum animi mollitia in carminibus condendis adhibuerunt Poloni, quos acre patrii caeli desiderium movebat et agitabat.

Apud omnes fere Polonorum poetas frequentes sunt mirae Mariae Virginis laudes: omnibus enim tempestatibus, cum ardentibus essent Christianae fidei

asseclae, nullam umquam praetermiserunt moram, quin Redemptoris Matrem animo humili invocarent, auxilium contra rerum calamitates peterent, eiusque potestatem contra morborum adversitates flagitarent. Fidem sinceram non solum in Deum verum in dominos etiam et artium fautores cecinerunt, qui, rerum difficultates minuentes, faciebant ut poëtae quadam cum animi tranquillitate Musas colerent, carmina fingerent, in altiora studia animos intenderent. Ad dominorum incepta magnificanda haud raro poëtae venationes descripserunt, in quibus illa invenimus animalia, quae in ceteris terrarum partibus nullus accola umquam vidit. Nicolaus Hussovius, qui praeter nonnulla carmina modis Aeolicis confecta, Vergilii exemplum secutus, longum et pulchrum poëma, cui *Carmen... de statura, feritate ac venatione bisontis*, contexuit. Idem auctor praeterea praeclaras illius temporis res mirum in modum cecinit, in quibus *Nova et miranda de Turcis victoria* et *De vita et gestis divi Hyacinthi opusculum* potissimum locum obtinent. Quis nostrum Ioannem Vislicensem, qui Vergiliano more bellum contra Prutenos acriter gestum celebravit, memoria umquam deponit? A Polonis enim illis temporibus est acriter pugnatum ad libertatem recipendam. Poëtae, qui populi libertatem cupiebant et favebant, militum virtutes continuo memoraverunt; Polonos, qui cultu atque humanitate minime ceteris Europae populis cedebant, eosdemque praeterea dignos esse ducebant qui libertatem adipiscerent illoque fruerentur dono, quod Supremus rerum Conditor omnibus orbis gentibus dedit. Apud auctores, de quibus cursim locutus sum, Vergiliana verba et hemistichia facile invenire possumus: nam versus CLXIX illius carminis, quod *Bellum Prutenum* inscribitur, incipit *tempus erat*. Iisdem enim utitur verbis, quae apud secundum Aeneidos librum, ad versum CCLXVIII, *Tempus erat quo prima quies mortalibus aegris* legimus.

Ceterum Vergilius, cum renatarum litterarum aetate inter poëtas Latinos potissimum obtineret locum, illis omnibus, qui epicis carminibus operam dabant, materiam et verba praebuit. Quem morem hodie, altero quodam consilio usi, nos vituperamus, quoniam altero quodam modo poësim ducimus. Sed illis temporibus eo doctior erat vir quo magis antiquorum poëtarum versus adhibebat et carmina sua ditabat. Eundem morem et apud omnes Europae poëtas invenimus. Nam apud doctos maioribus laudibus digni habebantur, qui maiore antiquorum versuum copia opera sua contexebant. Poloni quoque, ut par fuit, ne ceteris minoris haberentur, sunt eundem morem secuti.

Poloni vero, haud secus ac Itali, modos Aeolicos per Horatium et Catullum didicerunt; sed haud raro factum est, ut syllabarum brevitatem ac productionem altero quodam modo sentirent. Ideo, quamvis Horatiana carmina didicissent tantique poetae exemplum sequerentur, haud raro tamen accedit, ut in modis vel Alcaicis vel Sapphicis ab magistro facile discederent. Sed illi viri, quos his temporibus, quibus nos rem metricam per libros tantum discimus, vituperamus et emunctae naris videmur, linguam Latinam omnibus diebus ad vitae necessitates declarandas et enarrandas adhibebant et auribus illas percipiebant proprietates,

quae nos vel penitus latent vel omnino fugiunt. Nos vero syllabarum et productionem et brevitatem in lexicis invenimus et servamus, illi vero docti praecipuas has linguae Latinae proprietates et leges per usum cotidianum, per magistrorum voces ediscebant et magna cum peritia ahibeabant. Aures vero eruditi illi viri tum ad iudicium superbissimum cum ad voluptatem tanto studio atque amore educabant, ut facile percipiebant illas vocis variationes, quas nos hac aetate, illis deperditis donis, quae memoriter tradebantur, nec audimus nec intellegimus. Quibus tantum de causis vacui censores videmur et arroganter, suggestum conscensi, stultas sententias, nova barbarie ingravescente, proferre non dubitamus.

Eruditi Polonorum viri contra, qui gentibus suis laudi ac nomini, Italis decori atque honori fuerunt, non solum poëtarum numerum auxerunt, verum etiam operibus suis in longinquas Europae nationes litteras Latinas propalaverunt et propagaverunt domique nova dicam ditaverunt vita, quam nos, opera volventes et carmina legentes, statim intellegimus. Nos autem, quamvis Romanorum sermonem colamus eundemque perraro et magna cum difficultate in commerciis cotidianis adhibeamus, demiramur quomodo perantiquam linguam doctissimi illi viri didicerint eandemque quanta cum peritia in extrema Europae regione adhibuerint, in quam mercatores tantum antiquissimis Romanorum temporibus aegre minimeque saepe commeaverunt. Sed litteris renascentibus lingua Latina una fuit Europae lingua, quae in unum omnes cultiores Europae populos congregavit unumque fecit. Attamen nobis hic tantum de poëtis est agendum, ne vos, auditores ornatissimi, longius ducam et taedio afficiam. Sed hoc tantum hic memorare iuvat: et mathematicos et physicos et philosophos et innumeros viros in operibus contexendis esse lingua Latina usos.

Quantum Polonorum poëtae XV et XVI saeculo et iis quae sunt in usu vitae communi et litterarum peritia non solum patrios verum terrarum etiam cives ditaverint, quibus auditis, neminem amplius fugit. Nam quae apud Italos, praeclaris viris docentibus, didicerunt, utilia profecto fuerunt, quoniam omnes, carminibus limati atque subtiles, ea sunt omnia maxima cum peritia experti. Nam ex Itolorum poëtis haud pauci aequales, externarum gentium doctrina atque eruditione principes, secuti atque imitati sunt, quoniam longin quarum regionum mira et paene incredibilia referebant et idoneis verbis et versibus cecinebant. Ubinam Polonia, qui cultus atque humanitas incolis esset, quae mira in silvis vel in altis montibus exstarent animalia, quae civibus instituta, qui mores, quae denique leges plerique docti penitus ignorassent, si illius nationis poëtae aequales Italicos certiores non fecissent. De tam longiquis regionibus rumores, nuntiis et optimis auctoribus carentibus, perpauci tantum audire potuerant. Poëtae vero uno eodemque tempore regionis res populique iura et privilegia patefecerunt et docuerunt. Nam versuum et carminum auxilio una cum Italis totius Europae quoque populi Poloniae res, principum virtutes, sacra populorum, crudelia bella, mortiferae pestilentiae damna cognoscere potuerunt, quia haud infrequenter apud Italos illius regionis poëtae mira cecinerunt et vulgaverunt.

Quibus breviter prolatis, auditores ornatissimi, ad nostrarum litterarum patres mentes breviter vertamus, ut mira et praecipua tantorum virorum exempla sequamur. Romanorum sermo, etsi Europae lingua amplius non habetur, opera nostra non faciamus ut ex hominum convictu ac societate pellatur, ex animis nostris eradicetur, e scholis, ut apud complures Europae gentes factum est, magna cum amentia auferatur. Quid rerum progressus, humanis litteris carentibus, iuvenes nostros iuvat? Quod lumen scientiae et rebus technicis, litteris humanis sublatis, huius aetatis homines afferre possunt? Ideo nobis, armis dstrictis, est acriter pugnandum, ne malefici viri, iidem optimis rebus instituti, peiore imminente atque instante barbarie, tantum damnum iuvenibus nostris ferant et aegram praebeant vitam nostris temporibus, quibus innumera mala pectora vexant, mentes turbant, corda territant. Renatarum enim litterarum poëtae non solum humanas verum ceteras quoque artes funditus humanitate doctrina eruditione renovarunt, quoniam non sibi vel poësis cultoribus tantum opera scripserunt et dicaverunt sed omnibus quoque viris, qui nobile ingenii inceptis operam dabant. Nostrorum ergo patrum maiorumque mores secuti, faciamus ut nova litterarum species et forma, antiquo Romanorum sermone renovata, recentioris cultus atque humanitatis nuntia fiat. Nos denique, quibus magnus est litterarum Latinarum amor, illius cultus atque humanitatis nuntii, rebus adversis parumper omissis, in dies fiamus ac testes.